

2

S 125

1291 Juni 24.

[71] 125

Der Edele Bernhard von Ahaus bekundet, daß die Brüder Gottfried u. Rainer von Legden dem Kloster Varlar die Huße Brockhūs, Kpl. Legden, verfaßt haben.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, amen. Temporales actus supplantare solet ruina temporum, nisi vivificantur apicibus sigillatis. Proinde nos Bernardus miles, nobilis de Ahuss, dignum duximus cunctis Christi constare fidelibus, quod constituti coram nobis Godefridus et Reinerus, fratres dicti de Leeden, et corum cohaeredes et liberi Reineri, videlicet Henricus, Reinerus, Bernardus et Hermannus, Gertrudis et Mechtildis, recognoverunt se venerabilibus viris domino Joanni praeposito et conventui ecclesiae Varlaren sis mansum suum dictum Brockhuss, situm in parochia Leeden, quem a nobis idem Reinerus jure tenuit feodali, cum agris, lignis, pratis, pascuis, rivis, hominibus seu cum omnibus suis iuribus et attinentiis pro LVI marcis legali um denariorum rationabiliter vendidisse, qua summa recepta idem fratres G. et R. una cum eorum cohaeredibus praenotatis resignaverunt dictum manus coniunctis manibus cum omnibus suis iuribus et attinentiis, ut supra notatum est, in manus nostras et in manus Wernerii sacerdotis et cellararii et Aspelani, fratribus ecclesiae Varlaren sis, vice et nomine praefati Joannis] praepositi et conventus ab eo penitus in perpetuum recedentes. Nos vero consideratis meritis et favore domini Jo. praepositi et conventus pro remedio animae nostrae ac uxoris nostrae dominae Sophiae piae memoriae apud ipsos sepultae et cohaeredum nostrorum contulimus et conferimus in his scriptis una cum liberis et cohaeredibus nostris, Joanne videlicet et Ottone et Jutta, coniunctis manibus saepedictum mansum cum omnibus suis iuribus et attinentiis ac ipsis proprietatem domino Joanni praeposito et conventui in Varlare pro propriis bonis perpetuo possidendum. Ut autem haec rata et firma permaneant, praesentem literam ipsis tradidimus sigilli nostri munimine roboratam. Acta sunt haec anno Domino M^oCC^o nonagesimo primo, in die beati Joannis baptistae, praesentibus et protestantibus Gottscalco de Heeck, Rotgero de Ramesberg, militibus; Gerardo filio suo, Rudolpho et Gerardo

Brinckine fratibus, Roberto de Burzen, Wernero de Graes, Adam, Wilhelmo de Rechtere, Ludolfo de Monasterio, Bernardo de Were, Joanne et Gerardo de Wullen fratibus et aliis quam pluribus probis viris fide dignis.

Kopie im Varlarer Kopiar S. 59/60.